



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola IX. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Notarivm In Sardinia. De
ministeriis Aleriensis ecclesiae recipiendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

illigetur. *Quid enim prodest homini, sicut veritas docet, si totum mundum acquirat, & suæ faciat animæ detrimentum?* Vnde necesse est vt Deum in omni quod gerimus attendamus, peritura & temporalia contemnamus, atque ad æternitatis bona cordis desiderium dirigamus. Xenia autem vestræ sanctitatis suscipere omnino nolueram; quia valde esset incongruum, vt a prædatis atque afflictis fratribus munera percepisse videremur. Sed responsales vestri alio me argumento vicerunt, adeum illa deferentes, a quo non possent oblationes vestræ fraternitatis repelli. Illud enim vobis præ omnibus studendum est, vt venturo iudici animarum, sicut prædiximus, non peritura munera procuretis, quatenus & vos de vestra mercedis operatione, & nos pariter de nostra adhortatione respiciat.

EPISTOLA IX.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM NOTARIVM IN SARDINIA.

De ministeriis Aleriensis ecclesiæ recipiendis.

Gregorius Petro notario in Sardinia.

MINISTERIA ecclesiæ Aleriensis, quæ secum Scyllacium quondam episcopus Seuerinus detulerat, præsentium sibi portitores restitui postulant. Quia ergo res ecclesiasticæ cauta debent solitudine præmuniri, hoc nobis visum est, vt in eadem ecclesia seu ciuitate episcopus, cui ministeria ipsa tradi possint, debeat ordinari. Sed quoniam Leonem archidiaconum, aliosque clericos eiusdem ecclesiæ illic esse commemorant; experientiæ tuæ præcipimus, quatenus eos ad suam ecclesiam proficisci, ac eligere ordinandum episcopum sibi commoneat: vt dum Deo illic fuerit propitio consecratus, ipse ecclesiæ suæ res sine aliqua ambiguitate recipiat.